

te queso fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quae necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei. Quesio est, utrum in hoc peccaverit Lot?

Hujus difficultatis resolutio pendet ex animo, quo Lot Filias suas obtulit Sodomitis, circa quod duplex est Sententia. 1. sententia est Cajetani, qui existimat Lot non obtulisse suas filias animo repensandi flagitium flagitio, sed animo placandi furentem populum per hyperbolicam sui submissionem; credebat enim & rationabiliter, ut probavit eventus, populum minime accepturum hujusmodi oblationem, sed quod hac submissione placatus ab incepto desisteret, idque eo verosimilius, quod, ut patet ex sequentibus, filiae ejus erant jam tum desponsatae civibus Sodomae, quorum aliqui amici haud dubie illic aderant: sic ergo se gessit Lot, sicut, qui placaturus alium gravi injuria a se offensum; ei offerret pugionem nudum, dicens: interfice me; non eo animo ut interficeretur, sed ut tanta submissione placetur offensus. Per exaggerationem ergo hoc dixit Lot, sicut David dixit ad Ionatham 1. Reg. 20. Si est iniquitas in me, tu me interfice, & ad Patrem tuum ne introducas me, securus quod non interficeretur: sicut Moyses dixit Deo Exod. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti, probè sciens non esse delendum. Hanc expositionem amplectuntur Tirinus, Menochius, Sà, & alii: illam non improbat à Lapide, & Natalis Alex. Et eo videtur probabilior, quod non sit facile conceptus, quomodo bonus Pater, vir aliunde prudens & justus, sincerè maluerit proprias filias publicè foedari, quam ignotos extraneos. Juxta hanc autem interpretationem manifestum est, Lot non esse culpandum, sed potius laudandum. At verò Aug. & hac est altera Sententia, q. 42. in Genes. & libr. contr. Mendacium ad Consentium c. 9. censet, Lot filias suas obtulisse Sodomitis eo animo, ut stuprarentur, & sic minori flagitio majus impedire: In filiabus, inquit loco ult. hoc malum maluit fieri, quam in hospitibus suis, non tantum id volens animo, verum & offerens verbo; & si illi assensu fuissent, impletura & facta. Juxta hanc autem interpretationem, & in hac hypothesi

Dico: Probabilior est, Lot, metu a Sodomitis incusso suas filias eorum libidini offerentem, non esse a peccato omnino excusandum, licet animi turbatio, & studium defendendi hospites peccatum minuerint. Ità August. locis cit. Prob. Sicut, juxta Apost. Rom. non licet facere minora mala, ut eveniant bona, non licet facere minora mala scilicet culpae, aut ea procurare, ut videntur majora in aliis. Si enim, inquit Aug. ibid. hanc peccatis aperimus viam ut committamus minora, ne alii majora committant, lato limite, immò nullo limite, sed convulsis & remotis omnibus terminis infinito spatio, cuncta intrabunt atque regnabunt; quando enim fuerit definitum peccandum esse homini minus, ne alius peccet amplius, profectò & furtis nostris supra cavebuntur, aliena, & incesta stupris; & si qua impietas visa fuerit etiam peior incestis, incesta quoque faciendâ dicentur a nobis; atqui Lot ad vitandum majus malum non solum permisit, aut toleravit (quod quandoquè licet) sed & committere & procurare voluit, dum dixit: Educam eas, &c. ergo. Confirmatur 1. Lot non erat dominus corporis & pudicitiae suarum filiarum: ergo illicitè eas stuprandas obtulit. 2. Lot ut Pater magis tenebatur consulere salutem propriarum filiarum, quam extraneorum: ergo.

Obj. 1. Lot post hoc factum justus vocatur 2. Petri 11. ergo. R. Lot vocari à S. Petro justum, comparativè ad Sodomitas, qui ab eorum flagitiis semper abhorruit. Ità Aug. q. 45. in Genes. Et quia, ut dixi, mentis turbatio, & studium salvandi hospites ejus culpam valde dimittit, & probabiliter à lethali excusavit: insuper dato Lot graviter peccasse, peccatum poenitentia delet, & idè justus: sicut Sampson recensetur in Scriptura inter justos veteris Testamenti, non obstante scortatione ejus, quia illam poenitentia explavit.

Inst. Chrysost. hom. 43. in Genes. laudavit hoc factum Lot. Quanta, inquit, justus virtus omnem virtutem hospitalitatis superavit. Quid enim justus hujus benignitate sat dignum attulerit, qui neque filiabus parcere voluit, ut seroeret hospitibus honorem, & liberaret eos a perorsitate Sodomitarum? Et ille quidem filias suas prostituit, ut hospites viatores, iterum eadem dico, omnino ignotos eriperet ab impiorum contumelia. Item S. Ambros. 1. 1. de Abraham c. 4. Offerret sanctus Lot filiarum pudorem; nam, etsi illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat secundum naturam coire, quam adversus naturam delinquere. Praeferebat domus suae verecundiam hospitalium gratiam, quam apud barbaras gentes inviolabilem. Denique S. Thom. q. 1. de malo art. 2. ad 14. Lot, inquit, non praelegit culpam poenae, sed ostendit ordinem esse servandum in fuga culpae; quia tolerabilior est, si quis committat minorem culpam, quam majorem: ergo. R. ad 1. Quidam dicunt, Chrysost. his verbis proluisse expositioni Cajetani; sed male, cum disertè asserat Lot filiabus suis parcere noluisse, & eas prostituisse. Dicendum itaque, Chrysost. laudare quidem benevolentiam; & zelum Lot in defendendis hospitibus suis, non verò propudiosam suarum filiarum prostitutionem: sicut SS. Patres laudant pietatem obstriticum erga mulieres Israëlitas, non verò earum mendacium. Ad 2. R. S. Ambrosium referre duntaxat Lot minus malum prae majori elegisse; at id ipsi fuisse licitum non asserit, imò contrarium innuit cum dicit: illa quoque flagitiosa impuritas erat. 3. R. S. Thom. nihil aliud significare quam Lot tolerabilior peccasse eligendo minorem culpam prae majori, quam si majorem leviori praelegisset. Patet ex terminis.

Obj. 2. Licet est suadere minus malum, ad evitandum majus: sic volenti furari centum, licet suadeo, ut furetur tantum quinquaginta; atqui Lot suavit tantum minus malum ad evitandum majus: ergo. R. 1. N. Min. Non enim tantum suavit Lot stuprum suarum filiarum, sed & ad illud cooperari voluit, etiam disponendo de re, cujus non erat dominus; ut patet ex probationibus conclusionis. Licet autem volenti furari centum possim suadere simpliciter furari quinquaginta tantum, non possum tamen possitive ipsi cooperari, & adjuvare ad furandum quinquaginta. R. 2. D. Maj. Licet est suadere minus malum ad vitandum majus, si obiectum suasionis sit tantum omissio, aut minoratio majoris mali sine damno tertii, de quo non cogitat malefactor, C. M. si obiectum suasionis sit malum in se, aut etiam minoratio tantum mali, sed cum damno tertii, de quo non cogitat malefactor, N. si volenti occidere Petrum non licet mihi suadere ut spoliat Joannem; sic enim essem auctor furti, & damni Joannis, de quo non cogitat malefactor: sic Lot respectu stupri filiarum suarum, de quibus non cogitavit Sodomites, furentes duntaxat in hospites extraneos. Confer, quae dixi de Jure, & Justitia Dissert. 8. art. 13. §. 1. n. 6. & de Temperantia Dissert. 3. art. 3. obj. 4.

DISSERTATIO II.

DE VOLUNTARIO LIBERO, SIVE DE LIBERTATE CREATA.

CUM libertas arbitrii sit fundamentum totius moralitatis, curatque per omnes sermè Theologiae partes, eaque sit variorum errorum antiquorum, & recentiorum materia, opere praetium duxi hanc Dissertationem instituire extra ordinem Quaestionum Auctoris. De libertate creata agit Auctor 1. p. q. 83. q. 24. de verit. q. 6. de malo, & alibi.

ARTICULUS I.

Praenotanda scitu necessaria.

§. I. Multiplex acceptio libertatis.

Libertas opponitur servituti, & subjectioni; undè libertas generatim est exemptio, seu immunitas a servitute, & subjectione; totque modis accipitur, quot modis accipitur servitus

& subjectio, cui opponitur. Est itaque prima libertas a poena, & miseria, qua quis detinetur, & opprimitur; dicitur libertas felicitatis, & gloriae, quae non erit perfecta nisi in Patria. Secunda libertas est a peccato, & ab habitibus inclinibus in illud; qui enim facit peccatum, servus est peccati. Undè Apost. ad Rom. 6. Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiae. Hic dicitur libertas gratiae, & virtutis, & solis justis competit. Tertia libertas est a lege. Hac primario, & principaliter competit soli Deo, qui nullum habet superiorem, sed est ipse sibi lex, & regula. Secundario autem, & participativè competit justis; justus enim non eget legis directione, seu coactione, ut affectus suos rectè disponat, sed ex propria inclinatione, etiam si non esset lex, quae legis sunt, faceret. Ad hanc reduci potest libertas a servitute, alterius hominis dominio addeente, quae dicitur libertas civilis. De his libertatis acceptionibus non est hic quaestio; sed de sequentibus tantum. Undè quarta libertas est a vio-

lencia seu coactione, dicitur spontaneitas, seu lubentia: reperitur in omnibus, quae non invitata, & per vim externam compulsata, sed ex inclinatione quamvis necessitate agunt: ut in omnibus actibus elicitis voluntatis quantumvis necessariis, quoad hos enim non potest cogi voluntas, ut dixi Dissert. praeced. Hac libertate Beatus amat Deum in Patria, Beatitude in via: eadem Deus amat seipsum, & producit Spiritum S. Extenditur etiam ad bruta, quia imò & ad res inanimatas, sic aqua dicitur spontè fluere, lapis spontè descendere deorsum. Quinta libertas est a necessitate; & est immunitas, non solum a coactione, seu violentia, sed etiam a naturali instinctu, & determinatione ad unum sine potentia ad oppositum; qua libertate gaudet, qui potest velle, vel non velle, hoc vel illud velle: dicitur libertas indifferentia, quia est ad opposita. Et cum sit duplex indifferentia, scilicet quoad specificationem, & exercitium, ita est duplex libertas a necessitate, scilicet specificationis, & exercitii. Libertas exercitii, quae etiam dicitur contradictionis, est ad actum, & ejus omissionem, quae nempe potest quis agere, & non agere, amare, & non amare. Libertas specificationis est ad actus specie diversos; qui actus si sint contrarii, ut amare, & odire, sedere, & stare, dicitur libertas contrarietatis; si sint actus disparati, ut orare, vel studere, dicitur libertas disparitatis.

§. II. Varii errores circa Libertatem arbitrii.

IN hac ergo libertate a necessitate, seu libertate indifferentia reponimus libertatem arbitrii; circa quam variè variè errant, alii plus æquo illam extollendo, alii eam negando. Negantur 1. Stoici ex fatio; quamvis tamen nonnulli velint, quod affectus humanos exmeriat a fato, cui cetera subdicebant. 2. Negantur Astrologi ex influxu Syderum. 3. Negantur Manichaei ex duplici anima, bona, & mala, quam in unoquoque homine consistebant; quarum altera alteram necessario compellebat hoc ipso quo praevalebat. 4. Negantur Wiclefistae, Lutherani, Calvinistae ex peccato originali, & ex vi necessitate gratiae. 5. Negantur ex isdem principis Bajus, & Jansenius, quorum primus dixit: Quid voluntarie fit, etsi necessario fiat, liberè tamen fit, est ejus propositio 39. a S. Pio V. damnata: Et sola violentia repugnat libertati hominis; est propositio 66. Alter, non solum libertatem, quam vocat essentialem, & simpliciter dictam, esse sitam in sola immunitate a coactione cum peccata advertentia rationis, sed quod gravius est, & damnatum, hanc a coactione libertatem sufficere ad merendum, vel demerendum in hoc statu naturæ lapsae, nec requirit libertatem a necessitate: est tertia ejus propositio damnata.

Verum ad aliqualem intelligentiam systematis Jansenii in praesenti materia, & ad detegendas cavillationes, quibus & ipse, & ejus fautores illud obvolvère nituntur; observandum est, Jansenium admittere verbo tenus libertatem arbitrii, sed quae stet cum necessitate; non autem uno modo intelligit libertatem, & necessitatem. Distinguit inter libertatem quoad essentiam, & quoad statum: item inter necessitatem fixam, invariabilem, & perpetuam, quae in nullis circumstantiis vincit potest, qualis est, v. gr. illa, qua Deus se necessario diligit, aut qua Beatus diligit Deum; & necessitatem transitoriam, ac relativam, quae stantibus praesentibus circumstantiis relativè ad vim oppositam superioris delectationis vinci non potest, licet absolute, & in aliis circumstantiis vinci possit. Dicit itaque, libertatem essentialem arbitrii stare cum necessitate fixa, & invariabili: undè juxta ipsum Deum liberè libertate essentiali se amat, Pater eadem libertate generat filium, Beatus amat Deum; &c. A libertate autem quoad statum hominis viatoris rejicit quidem necessitatem fixam, & invariabilem, quia homo viator est flexibilis in bonum, & malum, sed amittit transitoriam, & relativam: undè juxta ipsum, quamvis homo a cupiditate superiore, & dominante necessario in malum rapiatur, sicut minus pondus in bilance necessario elevatur a majori, liberè tantum, & demeritorie illud agit quia non coactè, sed spontè cum perfecta advertentia rationis agit. Aug. abundè satis est, inquit l. 4. de statu naturæ lapsae c. 24. Edit. Rothomag. p. 271. col. 2. quod peccator...sciens, & pruden- dens plana voluntate feratur in malum, sive ab ista diligenti mali necessitate se expedire possit, sive non possit.

Quandò itaque Jansenius, & Janseniani dicunt, sub cupiditate dominante remanere libertatem arbitrii, imò potentiam proximam, & expeditam oportè parvè gratia ad bonum faciendum (sic enim quandoquè loquuntur cum Catholicis, ut eorum argumenta declinent, vel censuris Ecclesiae se subducant) intelligunt de potentia absoluta, & abstracta, atque in sensu diviso superioris cupiditatis, non de relativa ad superiorem cupiditatem praesentem, & in sensu composito illius (qui sensus divisus, & compositus est Calvinisticus.) Etenim praeter dicta, & plura alia Jansenius docet l. 4. de grat. Chr. c. 9. quod vigente delectatione carnali impossibile sit, ut virtutis ac honestatis consideratio praevalcat. Et patet etiam ex illo, quod millis repetit, & inale Theol. Billuart. Pars Secunda.

intelligit, Aug. dicto, in c. 5. Ep. ad Galat. Quid amplius nos delectat, secundum ad operemur, necesse est. Uno verbo tota libertas arbitrii, quam agnoscit Jansenius in hoc statu naturæ lapsae, nihil est aliud quam necessitas alternativa, seu veribilitas ab una ad aliam necessitatem; quia viatores non sunt immobiliter fixi in bono sicut Beati, neque immobiliter fixi in malo sicut damnati, sed flexibiles modo in bonum, modo in malum, secundum quod praevalcat delectatio caelestis, vel terrestris, semper tamen necessario: eo fermè modo, quo canis modo blanditur, modo irascitur, semper tamen necessario. Consule Digressionem historicam in calce Dissertationis.

Ex adversò Pelagiani erraverunt circa libertatem arbitrii, nimum illud extollendo. 1. Dicebant, ipsum valere ad bonum, sicut ad malum sine gratia Dei. 2. Stare non posse. cum necessitate gratiae praeventis. 3. In nullo fuisse lesam per peccatum Adæ (quod negabant traduci in posterum) sed veluti in equilibrio positum parem habere indifferentiam, & facilitatem sive ad bonum, sive ad malum ac in statu innocetiae. 4. Volentè potentiam peccandi pertinere ad essentiam libertatis.

§. III. Multiplex radix libertatis.

Nemo melius rem novit, quam qui ejus radices ac fontes scrutatur: quapropter ad clariorem libertatis notitiam, quae maximè necessaria est Theologo, radices ejus sunt indagandae. Duplex est radix libertatis, alia extrinseca, alia intrinseca. (1. p. q. 19. a. 8. 1. Perhier. Lect. 14. & alibi de verit. a. 2. q. 6. de malo a. unico & alibi.) Radix extrinseca libertatis est summa efficacia divina voluntatis; quia, cum Deus sit causa universalissima totius entis, & omnium ejus modorum, & libertas tam potentialis, quam actualis arbitrii sit ejus modus, & perfectio, atque omnium ejus actionum, planè sequitur, quod ab efficacia divina voluntatis, tanquam a radice extrinseca, profluat. (1. p. q. 14. a. 1. & q. 82. a. 2. q. 24.) Radix libertatis intrinseca est triplex: prima, & remota est ipsa conditio naturæ intellectualis, quae ob suam immaterialitatem eam obtinet capacitatem, ut absquè sui alteratione possit omnium formas in se recipere, & fieri omnia in esse intentionali. Hinc sequitur universalitas intellectus, qua potest omnia cognoscere, scrutari, rimari, & in omnes partes vertere, de hisque judicare, quae fugienda, quae prosequenda, item supra ipsum judicium reflectere, illud emendare, mutare, & reprobare. Hanc autem formam universalem intellectualem sequitur inclinatio parvis conditionis, scilicet voluntas capax omnis, universalis, & infiniti boni. Quod ut profundius intelligatur,

Observandum (Q. 6. de malo cit.) est, quod omnem formam sua sequatur inclinatio ipsi proportionata. Ià enim natura est instituta, & his tribus totius naturæ ordo constat, scilicet natura, seu forma, quae constituit naturam; fine, ad quem natura tendit, non enim propter seipsam natura est; & inclinatione, quae naturam refert ad finem. Sunt autem triplicis generis naturæ, seu formæ: quaedam sunt omnino materiales, ut materia insensibilium; quaedam aliquatenus recedentes a conditionibus materiae, ut formae brutorum, quaedam tandem totitè elevatae super conditiones materiae, ut animae rationales, & Angeli. Itaque formam materiae immensam, & ideo admodum limitatam, ut sunt formae elementorum, plantarum, & aliorum insensibilium, sequitur inclinatio proportionata, ad unum immutabiliter determinatam, puta ad centrum, ad circumferentiam, vel aliquid hujusmodi, & dicitur appetitus naturalis. Formas verò, aliquatenus e materia emergentes, & ad spirituales accedentes, ut sunt formae brutorum, sequitur inclinatio, quae dicitur appetitus sensitivus, habens aliquam amplitudinem: nam, licet forma apprehensa per sensum sit individualis, & ad unum determinata, sicut forma rei naturalis, tamen non semper eadem forma recipitur in sensu; sicut est in rebus naturalibus; ignis enim semper est calidus, sed nunc una, nunc alia forma recipitur in sensu, puta nunc forma delectabilis, nunc tristis: & inde, inquam, sequitur parvis conditionis inclinatio ad unum quidem determinatam, sed non invariabiliter, modo namquè bruta fugiunt, modo prosequuntur; nunc gaudent, nunc dolent; nunc ablanduntur, nunc irascuntur; secundum diversas formas, quas apprehendunt. Formas tandem omnino elevatas super conditiones materiae, ut sunt animae rationales, & Angeli, cum ex sua elevatione, & immaterialitate sint capaces cognoscere omne, & universale verum, ut dictum est, sequitur par inclinatio, quae dicitur appetitus rationalis, capax omnis, & universalis boni; ex quo fit, ut omnibus bonis particularibus emineat ac dominetur, eaque, dum non habent necessariam connexionem cum fine, cum indifferentia respiciat, quatenus nullum potest ejus capacitatem satiare, neque amplitudinem adaequare.

Igitur prima, & remota radix intrinseca liber arbitrii est ipsa immaterialitas naturæ intellectualis, & ejus elevatio super

conditiones materiae. Secunda, & propinquior est ipsa universalitas intellectus in cognoscendo, & iudicando de omnibus, etiam reflexe de suo iudicio. Tertia, & proxima est amplitudo, & capacitas voluntatis ad omne, & universale bonum, ejusque eminentia super omnia bona particularia; ex quibus resultat in voluntate dominium super suos actus, ac jus disponendi de illis ad nutum, in quo formaliter consistit libertas arbitrii.

§. IV. Multiplex libertatis definitio ex S. Thoma.

1. **S.** Thom. (Quest. 24. de verit. a. 1.) definit ex Philosopho liberum arbitrium, quod est causa sui. Quia libertas opponitur servituti, & subiectioni, ut dictum est, servus autem non est sui juris, sed alterius; nec de suis rebus potest disponere, nisi ad nutum alterius: sed liber est sui juris, & ab alterius potestate solutus, habetque de se, & suis rebus ad nutum disponere, in quo consistit ratio domini; dominium autem essentialiter pertinet ad libertatem. In hoc ergo sensu liber dicitur causa sui.

2. Definit (In 2. d. 24. q. 1. art. 1.) libertatem arbitrii, quod sit facultas voluntatis, & rationis. Est rationis originative, & regulative; quia ratio est ejus radix, & regula, ut dixi §. preced. Est autem formaliter voluntatis; sola enim voluntas est electiva, & electio est actus liberi arbitrii, ut dicimus modo. Liberum arbitrium igitur est ipsa voluntas realiter, & entitativè; quia eligere, quod, ut dixi, est actus liberi arbitrii, est vellem unum præ alio, quod est etiam actus voluntatis. Distinguitur tamen a voluntate, ut voluntas est, ratione ratiocinata, quia voluntas ut voluntas magis latè patet, quam ut libera; velle enim extenditur ad media, & ad finem, ad ea, quae necessario, & quae liberè volumus; at eligere, quod est liberi arbitrii, fertur solum ad media, & ad ea, quae non necessario, sed liberè volumus. Et sic liberum arbitrium est quidem ipsa voluntas, sed inadequatè sumpta.

Dicitur facultas, quasi facilis potestas. Facile autem dupliciter dicitur: uno modo propter remotionem impedimenti, alio modo propter adiutorii appositionem. (Q. 24. de verit. a. 4. ad 1.) Facultas pertinet ad habitum, est per adiutorii appositionem, nam habitus inclinat potentiam ad actum. Hanc autem facilitatem non nominat liberum arbitrium, eò quod, quantum est de se, non inclinatur in unum magis, quam in aliud; sed nominat facilitatem, quae est per remotionem impedimenti, eò quod liberum arbitrium non impeditur aliquo cogente, vel necessitante a propria operatione. Ne tamèn aspiciatur, istud impedimentum, de quo S. Thom., esse motionem divinam, ut quidam fingunt; non enim est ista motio magis impedimentum libere operationis, quam succus radicis sit impedimentum fructus; (1. 2. q. 77. art. 7.) sed istud impedimentum, ut explicat alibi S. Doctor, est cum ratio passione turbatur, & ligatur, aut objecto nimium preoccupata non satis deliberat, ut contingit in motibus indeliberatis. Secluso ergo hoc impedimento, liberum arbitrium est facultas, (1. p. q. 83. a. 2. ad 2. q. 24. de verit. a. 3.) seu, ut dicit Auctor, facultas expedita ad operandum.

3. Definit liberum arbitrium, quod sit potentia rationalis ad opposita. Dicitur potentia, scilicet activa, non actus, quia libertas est quid naturale permanens in homine, etiam dum non agit: (1. p. q. 83. art. 2. o.) non habitus, quia, ut modo dicebamus, habitus inclinat ad unum tantum, libertas autem est indeterminata, & indifferens ad opposita, ut dicitur in definitione; & haec particula indicat propriam notionem libertatis; nomine enim indifferentiae ad agendum, vel non agendum communiter intelligitur libertas, & dominium.

4. Definit libertatem, quod sit vis electiva mediorum servato ordine finis. Haec definitio (quamvis praecedentes valeant, & in idem sensum cum praesenti redeant) est omnium optima, & a S. Doctore frequentius usurpata; passim enim libertatem explicat per vim electivam. (1. p. q. 62. art. 8. ad 3. q. 83. a. 4. & alibi.)

Dicitur itaque vis, id est facultas, seu potentia, ut explicamus. (1. p. q. 83. art. 3.) Dicitur vis electiva; quia ex hoc liberi arbitrii esse dicimus, quod possumus unum accipere alio recusato, quod est eligere. Dicitur (Hic q. 13. art. 3. o.) vis electiva mediorum; quia electio proprie non est de fine, ut finis est, sed de mediis tantum, quia electio in operabilibus se habet, ut conclusio in speculabilibus, & finis sicut principium: unde, sicut non est conclusio de principiis, sed de consequentibus ad illa, ita electio non est de fine, sed de mediis ad illum. Dixi de fine, ut finis est; quia, sicut in speculativis nihil prohibet id, quod est unius demonstrationis principium, esse conclusionem alterius demonstrationis (primum tamen principium in demonstrabilibus non potest esse conclusio alterius demonstrationis); ita etiam contingit, id, quod est in una operatione ut finis, ordinari ad aliquid aliud ut ad finem; & hoc modo finis

cadit sub electione. Sicut in operatione medici sanitas se habet ut finis; unde hoc non cadit sub electione medici, sed hoc supponit tanquam principium; sed sanitas corporis ad bonum animae ordinatur: unde apud eum, qui habet curam de animae salute, potest sub electione cadere esse sanum; vel esse infirmum; sed ultimus finis nullo modo sub electione cadit, quia non potest ordinari ad aliud.

Dicitur (1. p. q. 62. a. 8. ad 3.) servato ordine finis, quia liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea, quae sunt ad finem; sicut se habet intellectus ad conclusionem: manifestum est autem, quod ad virtutem intellectus pertinet; ut in diversis conclusionibus procedere possit secundum principia data; sed quod in aliquam conclusionem procedat praetermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius. Similiter ergo, quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis; sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum libertatis. Unde major, & perfectior est libertas arbitrii in Deo, Christo, & Angelis; qui peccare non possunt, quam in nobis; qui peccare possumus. Et hinc jam patet potentiam peccandi non esse de essentia libertatis, sed esse ejus nexum, de quo iterum infra.

Quinta tandem, & nunc valde communis, circumferitur libertatis definitio, nempe: Facultas, quae, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere, vel non agere. Hanc definitionem non rejicimus, sed absque explicatione non admittimus; quia, licet non sit absolute falsa, est tamen ambigua, & ab eis propalata, qui promotiones physicas rejiciunt, neque ulla ejus mentio reperitur in S. Thom. Igitur potest intelligi ista definitio de praerequisitis tempore, vel natura, & causalitate tantum. Item potest intelligi de potentia agendi, & non agendi in sensu composito, vel diviso. Si intelligatur de praerequisitis tempore, concedimus, quod libertas sit potentia agendi, vel non agendi in sensu tam composito, quam diviso, ita ut cum praerequisitis tempore ad actum possit non solum componi potentia non agendi, quod est sensus divinus, sed etiam non actus, quod est sensus compositus. Si autem intelligatur de praerequisitis tantum natura, & causalitate, negamus; quod possit agere, vel non agere in sensu composito, & potentia consequente, sed tantum in sensu diviso, & potentia antecedente, hoc est, cum requisitis natura tantum ad actum non potest componi non actus, bene tamen potentiam expedita non agendi: quia eo ipso instanti, quo sunt praerequisita natura tantum ad agendum, ut sunt, v. gr. iudicium ultimum rationis practicae, determinatio, quae voluntas seipsam determinat ad agendum, est actio: implet autem posse componi simul non actionem cum actione; & cum praemotio divina sit ex praerequisitis natura, & causalitate ad agendum, & in eo ipso instanti, quo datur, homo agat, liberum arbitrium sub illa non potest non agere in sensu composito, & potentia consequente, sed in sensu diviso, & potentia antecedente tantum, hoc est, non potest componere non actionem cum illa, sed tantum potentiam non agendi. Sic in sententia eorum, qui hanc definitionem adeo extollunt, quia gratia congrua est de praerequisitis natura tantum ad agendum, homo sub illa non potest in sensu composito, & potentia consequente non agere; sed in sensu diviso tantum, & potentia antecedente, alioquin gratia non foret congrua, & praescientia Dei falleretur, ut latius dixi in 1. p.

Dices 1. Liberum arbitrium, positis omnibus praerequisitis natura ad agendum, potest agere in sensu composito; ergo, & non agere in eodem sensu, quia membra contradictoria eodem sensu debent intelligi. R. Quod intelligendo hanc definitionem arbitrii de praerequisitis natura tantum, improprè dicitur posse agere in sensu composito, sed debet dici facultas actu agens cum potentia non agendi. Unde haec definitio, prout jacet, non debet intelligi nisi de praerequisitis tempore, ut sunt habitus, gratia sufficiens, &c. Et tunc est definitio libertatis potentialis, & in actu primo; non actualis, & in actu secundo.

Dices 2. Quandoquæ agens liberum tenetur componere non actum v. gr. dum adsunt omnia praerequisita natura ad peccandum, tenetur homo componere cum illis non peccatum: ergo potest; nemo enim tenetur ad impossibile. Prob. Ant. Componere non peccatum cum praerequisitis natura ad peccandum, est facere, ut in eodem instanti, quo sunt praerequisita ad peccatum, non sit peccatum; atqui homo tenetur facere, ut in eodem instanti, quo sunt praerequisita ad peccatum, non sit peccatum, alioquin non peccaret: ergo. R. N. Ant. ad Prob. C. Maj. Componere non peccatum cum praerequisitis natura ad peccatum, est facere, ut peccatum non sit in eodem instanti formalis, quo sunt praerequisita ad peccatum, C. Maj. in eodem instanti materiali, N. Maj. & ad hunc sensum distincta Minor, N. Conseq. Itaque posse componere unum cum alio non est posse facere, ut unum possit esse in eadem duratione materiali, in qua est aliud; sed est posse facere, ut eadem du-

ratio coexistentiam utriusque simul mensuret, quod est esse in eodem instanti formalis: hoc autem modo non potest homo ponere non peccatum cum praerequisitis natura ad peccatum, nec ad id tenetur, alias componeret non peccatum cum peccato, quod est impossibile: sic, v. gr. justus eo instanti, quo habet gratiam, potest peccare; non potest tamen componere peccatum cum gratia, quia non potest facere, ut idem instans, quod mensurat existentiam gratiae, simul mensuret existentiam peccati; sed tantum quod instans quod nunc mensurat existentiam gratiae, posset mensurare existentiam peccati, si adesset. Ita in nostro casu.

Repones: Potest homo cum praerequisitis natura ad actum ponere non actum in eodem instanti formalis; ergo. Prob. Ant. Motio divina est secundum Thomistas requisita natura tantum ad actum; atqui homo potest ponere non actum in eodem instanti formalis: Prob. Min. ex Concil. Trid. Potest ponere dissensus huic motioni; atqui dissensus supponit rem, cui dissentitur in eodem instanti formalis existere, non enim dissentitur rei, quae fuit, aut erit, sed quae est: ergo. R. N. Ant. Ad probationem, N. Min. Ad probationem, D. Maj. Potest dissentire huic motioni potentia antecedente & in sensu diviso, C. Maj. Potentia consequente, & in sensu composito, N. Maj. Similiter, D. Min. Dissensus actualis supponit rem, cum dissentitur, existere in eodem instanti formalis, Transeat; dissensus possibilis, praesertim potentia antecedente, N. Vide, quae de hoc argumento latius dixi in Tract. de Deo dissert. 8. art. 4. §. 2. in solut. 1. Obijci.

R. Pater Franciscus Hemo emendatur.

Dum haec scriberem, incidenter conjeci oculos la opus R. P. Francisci Henno, Tract. de principiis Actuum humanorum Q. 3. ubi legi non sine stupore, enormia, quibus onerat Thomistas, eosque efficit viros putosque Calvinianos, ac Ecclesiae decretis rebelles. Dicit namque 1. Thomistas docere Praemotivum physicum, quae stante non possit esse non actio, nisi in sensu diviso praemotivum, id est, ablata praemotivum. Ita Calvinistas; at non sic Thomistas, qui docent, stante praemotivum ad actum in sensu composito praemotivum, manere potentiam completam, & expeditam ad non actum, quia praemotivum supponit utrumque potentiam completam, & se tenet dumtaxat ex parte actus secundi.

Dicit 2. Thomistas docere, non esse in potestate creaturae, ut praemotivum illam habeat, aut habitum rejiciat. Ita Calvinus, contra quem Ecclesia in Conc. Trid. definit. Sess. 6. c. 5. Quippe qui illam abjicere potest; at Thomistae omnes ad unum (sunt enim, Deo miserente, Catholici, & obediens Filii Ecclesiae) docent, unicuique adesse praemotivum juxta ejus exigentiam, eamque posse abjicere, quia sub praemotivum ad unum, juxta eorum principia, ut dictum est, manet potentia ad oppositum.

Dicit 3. Thomistas docere, sine praemotivum impossibile nobis esse actionem. Id nullus unquam Thomista somnavit. Docent e contra, absque praemotivum haberi potentiam completam ad actionem, sique absque illa actionem esse possibilem; quia, ut iterum repetam, praemotivum non dat, sed supponit potentiam.

Dicit 4. Thomistas docere, praemotivum illam ita ex suis intrinsicis determinare hominem ad agendum, ut impossibile sit non esse actionem, ad quam est praemotivum. Eadem semper chorda aberrat R. Pater. Docent e contra Thomistae, praemotivum illam ex suis intrinsicis determinare hominem, non solum ad agendum simpliciter, sed etiam ad liberè agendum, sique actionem, ad quam est praemotivum, posse non esse, non minus quam qui liberè sedet, potest non sedere.

Mirum profecto & plusquam mirum, Scriptorum, aliunde multis titulis commendabilem, qui laudabili, licet irrito conatu, tentavit principia Thomistica cum Scotisticis conciliare, eosque prima elementa Scholae Thomisticae ignorasse, ut contraria prorsus & haeretica illi affingit. Et cum ex his falsis suppositis statuat conclusionem, quam putat nobis adversari, nihil dicit ad rem, aut contra nos; quapropter omitto. At, quae dixi, omittere non liceat in defensionem fidei nostrae.

§. V. Non pertinet ad libertatem arbitrii, quod sit primum determinans.

Non potest non esse maximi momenti haec observatio pro asserenda libertate sub praemotivibus physicis. Si enim libertas creata non sit a Deo quasi manu missa & emancipata, qualem fingunt nonnulli, sed secundum agens, secundum determinans primo subordinatum, quid illi nocet, si primo motu, secundo se moveat? Constat autem observatio 1. ex natura entis creati, cui dependentia tam in esse quam in operari ab ente

increato ita est essentialis, ut nulla ratione ab ipso avelli possit, siquidem concipi non possit ratio entis creati, aut ulla ejus perfectio, quae a Deo non oriatur & dependeat, unde Deus dicitur, non solum primum ens, sed prima causa, primum principium, primum movens, primum determinans, primum liberum; quia, sicut nullum est ens nisi ab eo participatum, ita nulla causa, nullum movens, nullum determinans, nisi ab eo moveatur & determinetur, nullum liberum nisi ipsi subordinatum. Et, sicut, si esset aliquid ens ab ipso non participatum, desideret esse primum ens; sic, si voluntas esset primum movens & determinans, desideret esse prima causa, primum principium, primum movens, primum liberum, & creatura his prerogativis decoraretur, fieretque quasi alter Deus; primum enim dicitur, quod alterum prius non supponit.

Neque dicas cum adversaris, voluntatem, quamvis primo se determinaret, non ideo fore primam causam & primum principium; quia ratio primae causae & primi principii exigit non solum, quod ab altero non moveatur, sed etiam quod sit a se; hanc enim responsonem tanquam falsam triplici solutione excipit & impugnat S. Thom. in 2. d. 37. q. 2. art. 2. o. Prima solutio est; quia inconveniens videtur, ut, quod a se esse non habet, a se agere possit. Secunda; quia per se durare non potest, quod a se non est; & utriusque solutionis ratio est; quia omnis virtus ab essentia procedit & operatio a virtute; unde cujus essentia ab alio est, oportet, quod virtus, & operatio sit ab alio. Sensus itaque primae solutionis est hic: Necessè est eundem ordinem, & eandem dependentiam servari inter virtutem agendi & operationem ex altera, quia omnis virtus ab essentia procedit, & operatio a virtute; atqui repugnat id, quod non est a se, habere a se virtutem agendi; ergo etiam repugnat, quod id, quod non est a se, nec a se habet virtutem agendi, habeat a se operationem. Sensus 2. solutionis est hic: Agens creatum in ratione agentis non minus dependet a 1. agente, quam ens creatum in ratione entis, & existens in rerum natura dependet a primo & supremo ente; atqui ens creatum ut existat, & conservetur, indiget continuo influxu Dei; ergo etiam ut agat, indiget simili influxu. Praeterea (& hoc est 3. solutio S. Thomae) quomodo per hanc responsonem evitaretur, quod non esset primum simpliciter, non posset tamen vitari, quin esset primum agens, si ejus actio in aliquo prius agens non redderetur sicut in causam. Id est, dato juxta hanc responsonem agens creatum non esse primum simpliciter & in omni genere, quia non habere esse a se; vitari tamen non posset, quin esset primum agens, & primum suae actionis principium in ratione & eo ordine, in quo ab alia causa & alio principio non moveretur; quia, ut dixi, illud primum est, quod aliud prius non supponit.

2. Nihil vetat, voluntatem creatam a Deo primo moveri & determinari, si ipsa sub ista Dei motione se etiam moveat, atque determinet, sique suam libertatem servet, & rationem laudis & meriti. Non enim alia ratione adversarii negant, voluntatem a Deo primum determinari, quam quia putant sub ea determinatione voluntatem non se movere ac determinare, sed ita determinari ad unum, ut non possit oppositum, sique sua libertate spoliari; atqui sic est, quod sub Dei determinatione ipsa voluntas se moveat ac determinet; ad quid enim datur ista motio, ac determinatio divina? Non certe ut voluntas nihil agat, sed ut agat modo sibi consentaneo, id est, liberè, ita ut possit agere & non agere. Unde divina motio & determinatio non solum non impedit, quin voluntas se moveat ac determinet, sed potius hoc ipsum facit, quod sub ista motione ac determinatione se moveat ac determinet: ergo.

Et haec est constans, ac perpetua doctrina D. Thom. in omnibus suis operibus. Ex innumeris pauca refero. In primis S. Doct. 1. p. q. 82. art. 2. ubi cum resolvisset hominem esse liberi arbitrii, tertio loco sibi objicit: *Liberum est, quod sui causa est, ut dicitur 1. Metaph. quod ergo moveatur ab alio, non est liberum; sed Deus movet voluntatem.* ergo. Et trinum argumentum adversariorum, quod est ipsis pro clypeo, & ense adversus praemotiones physicas: id enim impossibile, & inconcepibile ubique clamant, quod id, quod ab alio moveatur & determinatur, seipsum moveat ac determinet, sique ideo liberum. At isti quam lato distant intervallo a S. Thom. Dicendum, inquit S. Doctor, quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est: sicut nec ad hoc, quod aliquod sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias: & sicut naturales causas movendo eas non auferit, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias non auferit, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem: 1. 2. q. 9. Cum probasset art.

art. 3. voluntatem seipsam movere, probat art. 4. eam etiam moveri a Deo, ita ut utrumque sit coniungendum, & voluntatem a Deo moveri, & seipsam movere, & cum primo sibi obijceret esse de ratione voluntarii & liberi, quod sit a principio intrinseco, consequenter voluntatem non posse moveri a Deo, respondet: Dicendum, quod de ratione voluntarii est, quod principium eius sit intra: sed non oportet, quod hoc principium intrinsecum sit primum principium, non motum ab alio: unde motus voluntarius eius habeat principium intrinsecum, tamen principium primum est extra, sicut & primum principium motus naturalis est extra, quod scilicet movet naturam. Q. 10. seq. art. 4. o. Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum naturam conditionem. Ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Quia igitur voluntas est actio principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens & non necessarius nisi in his, ad que movetur naturaliter. Et cum primo sibi obijceret, quod omne agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet, sed Deo, cum sit infinita virtus, resisti non potest. Ergo Deus ex necessitate movet voluntatem: Respondet: Dicendum, quod voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet; sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit nature ipsius. Et ideo magis repugnaret divine motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod sua nature non competit, quam si moveretur liberè, quod competit sue nature. l. 2. d. 25. q. 1. art. 1. ad 3. Deus in libero arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministrat, & ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti. Q. 3. de potentia art. 7. ad 13. Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem prime cause, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; ideo determinatio actus relinquatur in potestate rationis & voluntatis. Vi de insuper l. c. g. c. 68. quæst. 6. de malo art. unico ad 3. opuse. 129. & alibi passim. Et nota, S. Thom. in his omnibus loqui de causalitate, motione, & determinatione divina in ordine physico, ut patet legenti textus & contextus. Voluntas ergo cœcitat, quicumque non videt iuxta S. Thom. voluntatem 1. moveri & determinari a Deo etiam in ordine physico, & eam sub ista motione, & determinatione se movere & determinare, proindeque sub motione divina illasam manere libertatem.

ARTICULUS II.

Utrum in homine lapsa sit libertas arbitrii, seu indifferentie?

Suppono, primum hominem in statu innocentie fuisse liberi arbitrii. Patet 1. ex illo Eccl. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Ex illo Gen. 2. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quam Dei imaginem intelligunt communiter Patres de libertate arbitrii. 3. Quia libertas est proprietas nature intellectualis, ut vidimus de radice libertatis. Neque hinc suppositionem negant Lutherani & Calvinistæ; sed volunt, per Adæ peccatum fuisse extinctum liberum arbitrium, esseque merè titulum sine re, seu rem de solo titulo, atque in homine lesso remanere dumtaxat libertatem a coactione. Illis quoad rem subscribit Jansenius, ut patet ex dictis art. præced. & patebit infra, quamvis quoad vocem admittat liberum arbitrium. Contra quos

Dico: De fide est, dari in homine lapsam libertatem arbitrii, seu indifferentie. (l. p. q. 83. art. 1. q. 24. de verit. art. 1. q. 6. de malo art. unic.) Prob. ex Script. 1. Eccl. 15. jam cit. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjectis mandatis: Si volueris servare, conservabunt te... apponit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. Hæc autem verba non restringuntur ad solum primum hominem, ut contendit Calvinus, sed etiam extenduntur ad presentes, quos alloquitur sacer Scriptor, ut legenti patet. 2. Genes. 4. Deus alloquens Cain post Adæ lapsum, Sub te, inquit, erit appetitus ejus (scilicet peccati) & tu dominaberis illius. 3. Josue ultimo, dum iste Dux Israëlitarum eos presentes hortaretur ad retinendam avitam fidem majorum, & ne servirent diis alienis, dicit ipsis: Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui servare potissimum debetis, virum diis, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis? Ego autem & Domus mea serviemus Domino. Palam est igitur, non agi de Adamo, sed de hominibus tunc viventibus. Adde illud Eccl. 31. Erit illi gloria eterna, qui non potuit transgredi et non

est transgressus, facere mala, et non fecit. Et illud 1. Cor. 7. Quod vult faciat, non peccat si nubat. Et mox; Non habens necessitatem, potestatem autem habens suis voluntatis, & plura alia.

Prob. ex Concil. Trid. Sess. 6. c. 1. ubi dicitur: Tametsi in eis (filiis Adæ) Liberum arbitrium minime extinctum esse, virtus licet attenuatum et inclinatum. Ibid. Can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti... anathema sit. Can. 5. Si quis, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse, dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique a satana inventum in Ecclesia; anathema sit. Can. 6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere... anathema sit.

Prob. ex Patribus, maxime ex Aug. quem reclamant heretici In primis S. Aug. eo dumtaxat fine scripsit librum de gratia & libero arbitrio, ut probaret utrumque debere admitti: Quoniam, inquit, sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, hinc aliquid scribere... curant. Et c. 2. Ipsa divina præcepta homini non prædesse, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad præmissa præmia perveniret. Et infra: Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium? Lib. 1. de nuptiis & concupisc. c. 3. Pelagianos alloquens: Liberum in hominibus esse arbitrium... utriusque dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani; ista quippe Catholica fides dicit. Lib. 1. ad Bonif. c. 2. Quis nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Ep. 46. Si non est gratia Dei, quomodo salvat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Et infra: Nisi libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur. His autem significari, non solum libertatem a coactione, sed etiam a necessitate & indifferentia, manifestum est, cum præciperetur frustra illis, qui sunt ad unum necessitate compulsi, ut modo dicam. Quædam alia ex Aug. referam Art. seq. sed longè plura videri possunt apud Bellarm. l. 5. de gr. & lib. arbit. c. 27. & 28. & quantum ad alios Patres tam Latinos, quam Græcos, capitibus anterioribus.

Prob. ratione a priori: Homo per peccatum non desit esse nature intellectualis; atque naturam intellectualem inseparabiliter sequitur liberum arbitrium, ut patet ex dictis de radice libertatis: ergo. (Ibid.)

Prob. ab experientia, quia apparet hominem liberè unum eligere, & aliud respicere: (Q. 24. de verit. cit.)

Prob. a posteriori, sed efficaciter. Si homo non esset liber libertate arbitrii & indifferentie, frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & poenæ. Vel enim homo esset necessario determinatus ad faciendam, que præcipiuntur, aut consulantur, & sic frustra præciperetur, aut consuleretur id, quod non posset non facere: vel esset necessario determinatus ad ea non faciendam, & sic frustra prohiberetur id, a quo abstinere non posset: ergo. Confirm. homo in hoc statu nature lapsa aliquando elicit actus meritorios & demeritorios; atque ad hoc requiritur libertas a necessitate, ut dicam Art. seq. ergo. (l. p. q. 83. art. 1. cit.)

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ex Script. Quicumque est liberi arbitrii, est dominus suorum actuum; atque homo non est dominus suorum actuum; quia ut dicitur Jer. 10. Non est in homine via ejus, nec viri est, ut dirigat gressus suos: ergo. R. N. Min. ad prob. sensus Scripturæ est, quod via hominis non sit in ejus potestate quantum ad executionem, & exitum suarum electionum a quo potest impediri, velit, nolit. Electiones autem ipse sunt in ejus potestate, supposito tamen divino auxilio. (Ibid. ad 4.)

Inst. 1. Qui non facit quod vult, & facit quod non vult, non habet in potestate suam electionem; atque dicit Apost. ad Rom. 7. Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum hoc facio: additque se captivum in lege peccati: ergo. R. ad Min. Apostolum illic loqui de motibus inordinatis appetitus sensitivi. (Ibid. ad 1.) Quamvis enim appetitus sensitivus rationi subjectus, potest tamen in aliquo repugnare, concupiscendo contra hoc, quod dicit ratio. Et hoc est bonum, quod homo non facit cum vult, scilicet non concupiscere contra rationem, & in quo se dicit Apostolus captivum sub lege peccati, sentiendo nimirum motus concupiscentie, quos nollit, at non illis consentiendo. Nam Consentire, vel dissentire proprie voluntatis est, inquit Aug. de Spiritu & Litt. c. 34.

Inst. 2. Illus non est consentire, cuius non est velle; atque juxta Ap. ad Rom. 9. Non est volentis, scilicet velle, neque currentis, scilicet currere, sed miserantis Dei: ergo. R. D. Min. non est volentis solius. C. non est volentis cum auxilio Dei. N. (Ibid. ad 2.) Illud ergo verbum Apostoli non sic est intelligendum, quasi homo non velit, & non currat libero arbitrio; sed quia non vult, nec currit, nisi moveatur & juvetur a Deo, jux-

juxta illud ad Philipp. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere. Item Prov. 21. Cor. Regis in manu Domini: quicumque voluerit, inclinabit illud.

Subsumes; atque, quod ab alio movetur, non est liberum: ergo. Prob. subsumptum: liberum est causa sui motus; atque, quod movetur ab alio, non est causa sui motus: ergo. R. N. Subsumpt. ad prob. D. M. Liberum est causa sui motus prima, vel secunda, C. Maj. necessario prima; N. Maj. & distinctione applicata Min. N. C. solutio patet ex §. præced. (Ibid. ad 3.)

Repones: Quod merè passivè se habet, non est causa etiam secunda sui motus; atque homo respectu motionis divinæ se habet merè passivè: ergo. Prob. Min. Luturum se habet merè passivè in manu figuli; atque homo comparatur Deo moventi, sicut lutum in manu figuli, Isai. 45. Jerem. 18. Eccl. 39. ad Rom. 9. ergo. R. N. Min. ad prob. D. M. Homo comparatur Deo moventi sicut lutum in manu figuli quoad aliquid, C. quoad omnia, N. Ista itaque similitudo luti non est ad actus internos voluntatis, sed apud Isai. & Jerem. adducitur ad significandum hominem non posse magis impedire prospera vel adversa, que Deus circa ipsum statuit, quam lutum possit impedire operationem figuli. Apud Ecclesiasticum & Apostolum adducitur ad significandum, prædestinationem non fieri ex hominum meritis, sed ex Dei voluntate. Verum, dato gratis, utrobique sermo esse de actibus internis voluntatis, nihil aliud significaretur, quam quod Deus tam facile possit hominis voluntatem movere quocumque voluerit, quam possit figulus lutum in quamcumque formam effingere, cum hoc tamen discrimine, quod cum homo sit agens intellectualis, moveatur secundum suum modum, id est, liberè; quod non competit luto.

Obj. 2. Ex Patribus, præsertim ex S. Aug. S. Doctor in Enchir. c. 3. dicit: Libero arbitrio male usus homo, & se perdidit & ipsum: nam, cum libero peccatorum arbitrio, victore peccato omissum est liberum arbitrium. Ep. 107. ad Vitalem: Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Et lib. de perfectione justitie c. 4. Vita vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate nature: ergo.

Prob. intelligentia horum & sequentium, que opponuntur ex Aug. observandum est; S. Doctorum in his agere contra Pelagianos, qui, ut jam observavimus, contendebant nihil minus detractum esse per peccatum originale, quod negabant; sicque ejus liberum arbitrium in nullo fuisse sauciunt, & debitum quoad bonum, sed pari libertate & indifferentia, pari facilitate & propensione se movere ad virtutes & vitia, non secus ac in natura integra, neque indigere auxilio Dei: ad opus bonum salutis. Hæc observatio præmissa, R. Liberum arbitrium dicit ab Aug. amissum peccato Adæ, (Q. 6. de malo art. unic. ad 23.) non quod sit extinctum quoad substantiam, sed quia est deterior factum, & debilitatum quoad bonum: eo fermè sensu, quo Pater dicitur perdere filium, quem, nimia indulgentia, sinit esse flagitiosum. Patet, non solum ex scopo Aug. impugnantis Pelagianos, sed ex ipsis verbis objectis, dicit enim hominem peccato perdidisse liberum arbitrium, sicut seipsam perdidit; non autem se perdidit quoad substantiam, quasi desideret esse homo, sed quoad perfectionem justitie & facilitatem virtutis, quatenus est obnoxius ignorantie, concupiscentie & morti. Ita ipsemet Aug. seipsum disertis terminis explicat l. 1. ad Bonif. contra duas Ep. Pelagi c. 2. Quis, inquit, nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas autem quidem perierit per peccatum, sed illa que in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia. Et l. 2. c. 5. Peccato Adæ arbitrium liberum de natura hominum perierit, non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.

Inst. 1. Nulla remanet natura libertas, ubi est dura peccandi necessitas; atque juxta Aug. per peccatum inducta est dura peccandi necessitas; dicit enim l. 2. de perf. just. c. 5. Quia peccatis (voluntas), secuta est peccatum peccandi dura necessitas. Lib. 1. operis imperfecti contra Julian. c. 105. Multum erras, inquit, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse penam, quod nulla necessitate commissum est. Lib. de m. & grat. c. 67. Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non potest. Eandem necessitatem S. Bernardus Serm. 81. in Cant. vocat incorrigibilem: ergo.

R. His (Opusc. 1. contr. errores Græc. c. 28.) & aliis similibus textibus triplicem adhiberi solutionem. Prima solutio est, S. Augustinum loqui de necessitate morali peccandi; sumpta pro magna difficultate a peccato abstinendi propter vitium nature corrupte per peccatum originale, qualis, v. gr. contrahitur ex consuetudine peccandi, que tamen, inquit idem Aug. l. 2. de Actis cum Felice c. 8. Quamvis roborata; ab homine su-

perari potest. Eodem sensu S. Bernardus vocat necessitatem incorrigibilem, non quod sit absolute invincibilis, sed quia difficultate vinci potest, propter vehementiam prave inclinationis. Uno verbo, S. Aug. in his & similibus textibus nihil aliud intendit contra Pelagianos, quam hominem post lapsum Adæ non amplius habere æqualem facilitatem, & inclinationem ad bonum ac ad malum, sed ex inversione nature per peccatum ex pravis concupiscentiis, & habitibus habere magnam propensionem in peccatum, & magnam difficultatem ab illo abstinendi; ex qua difficultate sequitur quædam necessitas vaga & indeterminata aliquando peccandi. Unde

Altera (Q. 24. de verit. art. 1. ad 10. & art. 12. ad 7.) solutio ex priori sequens est, Augustinum loqui de necessitate peccandi vaga & indeterminata, secundum quam peccata dicitur necessaria, quatenus in hoc statu nature vitiate in malum inclinatæ non possunt vitari omnia collectivè, quamvis possint vitari singula. Hæc autem necessitas vaga, & indeterminata non officit libertati arbitrii, quippe quod non circa omnia simul, sed circa particularia determinatè, & singulariter versatur, ut optimè explicatur in 2. ad Anibal. d. 28. q. unic. art. 1. ubi dicitur: Sciendum est, quod liberum arbitrium se extendit ad aliquem particularem actum, non autem ad totius temporis cursum: in potestate enim liberi arbitrii est, quod nunc velim hoc illud, aut non velim; sed non est in potestate liberi arbitrii, quod nullo tempore aliquid voluturus sim, non enim in ejus potestate immutabilitatem habere.

Tertia solutio est, Aug. aliquando loqui de peccatis materialiter sumptis, quales sunt motus indeliberati concupiscentie, & ignorantia involuntaria; que dicuntur peccata materialiter & improprie, quatenus sunt effectus peccati, & movens ad peccatum, & quibus homo carere non potest in hac vita.

Inst. 2. Ibi est necessitas physica, & determinata peccandi, ubi nulla est libertas indifferentie; atque Aug. in opere imperfecto contr. Jul. & alibi totus est, ut impugnet libertatem indifferentie tanquam basim, & fontem totius hæresis Pelagianæ: ergo. R. D. Min. totus est, ut impugnet libertatem indifferentie ad sensum Pelagianorum, C. ad sensum Catholicorum, N. Contendebant Pelagiani, ut jam non semel dixi, libertatem hominis in nullo esse sauciatam per peccatum originale, quod negabant; neque in peccatum magis quam in bonum esse propensionem, sed in perfecto æquilibrio constitutam pari momento se movere ad virtutes & vitia, sicut in natura integra. Hanc indifferentiam Pelagianam impugnat Aug. ad non eam, quam statuit fides Catholicam, per quam, licet virtutes attenuantur & in malum inclinatæ, homo ita remanet dominus suorum actuum, ut possit agere vel non agere, agere hoc vel illud, adjectus scilicet gratia, ubi agitur de opere salutari; sed que gratia, urgente necessitate, illi non deest secundam ejus exigentiam; ut dicimus in Tract. de Deo.

Possit insuper objici famosus illud Aug. dictum in c. 5. Ep. ad Galat. quod ad nauseam repetit Jansenius, scilicet: Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. R. Aug. loqui de delectatione vel deliberata, vel indeliberata. Si de indeliberata, intelligenda est necessitas moralis, sumpta pro magna difficultate aliter faciendi: docet enim ipse Aug. majore delectationi posse resisti; homo, inquit l. 83. Quæst. q. 70. Etiam cum dolore magnam venantis delectationem potest cohibere. Si loquatur de delectatione deliberata, ut communiter intelligitur, non intelligenda est quidem necessitas simpliciter dicta, sed hypothetica & consequens voluntatem: id enim, quod nos magis delectatè delectat, est id, quod præ alio deliberatè diligimus & eligimus; necesse est autem nos amplecti, & sequi in opere externo, quod præ alio deliberatè eligimus; sicut necesse est me loqui, dum loquor: sed hæc necessitas, ut patet, sequitur ipsam liberam determinationem voluntatis, sicque ejus libertati non nocet.

ARTICULUS III.

Utrum ad merendum vel demerendum in hoc statu nature lapsa, requiratur libertas a necessitate, seu libertas indifferentie?

Posito dogmate fidei, scilicet hominem in statu nature lapsa gaudere libertate a necessitate, seu indifferentie, quam dicimus libertatem arbitrii; quaerimus nunc, utrum hæc libertas a necessitate omnino requiratur ad merendum vel demerendum in hoc eodem statu? An non sufficiat libertas spontaneitatis, seu a coactione?

Dico 1. Ad merendum, vel demerendum in statu nature lapsa requiritur in homine libertas a necessitate, seu libertas indifferentie, & non sufficit libertas a coactione. (Q. 6. de malo art. unic. o.) Dixi: seu libertas indifferentie, ut significarem conclusionem esse intelligendam de quacumque necessitate reali & proprie dicta; per quam tollitur indifferentia, qualis est non

non solum necessitas invariabilis absoluta, & totalis, qua v. gr. Deus est necessario invariabiliter absolute & totaliter determinatus ad se amandum, Beati ad bonum, damnati ad malum, ita ut nullo modo possint oppositum; sed etiam necessitas variabilis relativa & partialis, qua v. gr. homo in systemate Janseniano modo in bonum, modo in malum necessario fecit per alternatim superiorum delectationem celestem, vel terrestrem; quæ necessitas non est invariabilis, ut patet, neque absoluta, sed relativa ad superiorum cupiditatem, neque totalis, quia supponit inferiorem delectationem conferre aliqualem potentiam ad oppositum, ligatam, & impeditam per superiorum delectationem. Hæc, inquam, necessitas etiam excluditur a libertate requisita ad merendum, vel demerendum, quia pariter per illam tollitur indifferentia, qua quis possit expedire velle, vel non velle, velle hoc, vel illud.

Ita definitur Inn. XII. Alex. XII. damnando ut hereticam hanc 3. propositionem Jansenii, Conclusioni nostræ contradictoriam, in sensu ab Auctore intento: *Ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Idem prædefiniverat S. Pius V. & Greg. XIII. damnando hanc 67. propositionem Bajii: *Homo peccat etiam damnavit in eo, quod necessario facit.*

His verò summis Pontificibus longe antè præverat S. Thom. q. 6. cit. de malo, his verbis decretoriis: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogereetur. Non enim omne necessarium est violentum; sed solum id, cujus principium est extra. Unde & motus naturales inveniuntur aliqui necessarii, non tamen violenti... hæc autem opinio est heretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritum, vel demeritum, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extrinsecas Philosophi opinionem, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movetur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & puniatio, & laus & vituperium, circa que moralis Philosophia consistit... Ad huiusmodi autem opiniones ponendas induci sunt aliqui homines, partim quidem propter protervitiam, partim propter aliquas rationes Sophisticas, quas solvere non poterimus; ut dicitur in 4. Metaph. Idem docet S. Doct. q. 22. de verit. art. 7. in 4. D. 49. q. 1. art. 3. quæstione. 3. ad 2. & alibi.*

Neque respondeas cum Vincentio Lenis, seu Fromondo in Theriaca l. 2. c. 8. & aliis S. Thom. excludere dumtaxat necessitatem brutalem Manicheorum & Stoicorum, seu necessitatem talem, quæ sit sine perfecta cognitione finis, ut in motibus primis. Nam S. Thom. excludit omnem necessitatem, qua quis sit aliquid necessarium agit, quod vitare non possit. Hunc autem effectum habet necessitas Jansenii ex superioritate unius delectationis ad aliam, non minus, quam necessitas Stoicorum & Manicheorum ex fato vel ex superioritate unius anime ad aliam. Unde, quamvis istæ necessitates differant origine, sunt tamen pares effectus.

Præter S. Thom. plures alii Patres laudantur, qui eadem ratione Conclusionem nostram asserunt. Inter eos S. Hier. l. 2. contr. Jovin. *Liberi arbitrii, inquit, nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona est.* Quæ verba referens S. Aug. l. de nat. & grat. c. 65. ea ut certissime vera approbat his verbis: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? Qui aliter conditam humanam negat essentiam? Idem Aug. l. de fide contr. Manich. c. 10. *Quis non clamat, stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse damnare eum, cui non fuit potestas iusta complere?* Et l. de duabus animabus c. 11. *Peccatum est voluntas consequendi vel retinendi, quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere... nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem neminem vituperatione supplicio dignum, qui... id faciat, quod facere non potest. Nomen ista cantant & in montibus Pastores, & in Theatris Poeta, & indocti in circulis, & Docti in Bibliothecis... & in orbe terrarum genus humanum? Et c. 12. *Dicere... peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summa iniquitatis est, & insana.* Et l. 3. de lib. arbit. c. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo cavere potest? peccatur autem, cavere igitur potest.***

Prob. ratione. Actus necessarii & merè spontanei non sunt morales: ergo nec meritorii, aut demeritorii. Patet Consequ. quia hic non agitur de merito physico & improprie sumpto, secundum quod omnis bona qualitas physica, puta pulchritudo, dicitur mereri laudem & admirationem, & omnis vitiosa qualitas, puta deformitas, dicitur mereri vituperium; sed agitur de merito vel demerito strictè & moraliter sumpto, fundato in bonitate vel malitia morali nostrorum actuum. Igitur prob. Ant. 1.

ex S. Thom. in 2. d. 24. q. 3. art. 2. ubi dicit: *Quod ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur;* atqui dominium voluntatis in suos actus non invenitur, nisi dum est in potestate voluntatis velle & non velle, ut patet ex terminis, & docet S. Doct. l. contr. gent. c. 68. Item in hac parte q. 1. art. 3. dicit *idem esse actus morales & actus humanos;* art. autem 1. ejusd. q. probat, *illas solas actiones dici proprie humanas, quarum homo est dominus, & que ex deliberata voluntate procedunt.* Porro actionum necessarium, ut est amor beatitudinis, homo non est dominus; neque procedunt a deliberata voluntate, id est, ex libera electione: ergo.

Prob. 2. Idem Aar. ratione. In tantum actus dicuntur morales, in quantum subjunguntur regulis morum, & ab iis dirigi possunt; atqui actus necessarii & merè spontanei non possunt subjungi regulis morum, neque ab iis dirigi: ergo. Prob. Min. Actus secundum se invariabiles non possunt subjungi regulis morum, nec ab iis dirigi; frustraneum enim foret, imò stultum, adhibere regulam actioni, quæ aliter esse non possit; atqui actus necessarii, & merè spontanei sunt secundum se invariabiles, ut patet in amore beatifico, in amore beatitudinis in communi & aliis: ergo.

Confirmatur Conclusio: Meritum dicitur habitudinem ad præmium: uadè quis dicitur proprie mereri, cum aliquid dat de suo, ut accipiat de alieno; seu exhibet aliquid ex his, quæ in sua potestate habet, ut accipiat aliquid ex his, quæ alter habet in sua potestate. Sic inter mercenarium & dominum reperitur proprie meritum & præmium, quia mercenarius ponit aliquid, quod est sum & in sua potestate, scilicet laborem, & accipit; quod est in potestate Domini, nempe stipendium; atqui actus necessarii non sunt in nostra potestate sic, ut possimus illos ponere & non ponere, ut patet ex terminis, & amplius dicam Art. seq. Ergo. Hanc rationem his paucioribus verbis comprehendit S. Thom. loco cit. *Per actum proprium quis mereri non potest, nisi sit dominus sui actus: sic enim suum actum quasi pretium pro premio dare potest. Est autem quis dominus sui actus per liberum arbitrium.* (Q. 29. de verit. art. 6.)

Ex his tum auctoritatibus, præsertim S. Thom. tum rationibus inter, libertatem a necessitate, seu indifferentie requirit ad merendum vel demerendum, non solum ex positivo decreto Dei; ut fingit Henricus a S. Ignatio libr. 2. c. 8. n. 54. sed ex natura rei; sique requirit in omni statu: quamvis verum sit, summus Pontifex definitum tantum pro statu nature lapsæ.

Dico 2. Ad merendum, vel demerendum non requiritur necessarii libertas contrarietatis ad bonum vel malum, sed sufficit libertas contradictionis. Prob. 1. in Christo, qui erat impeccabilis, & tamen meruit. 2. In Angelis, qui in 1. instanti meruerunt, nec tamen peccare poterunt, ut dicit in Tract. de Angelis. 3. In ipsa S. Virgine, Apostolis, & aliis Sanctis confirmatis in gratia, qui meruerunt absque eo quod peccare poterunt. 4. Ratione; quia hoc ipso, quo actus est liber libertate contradictionis, ita ut possit poni & non poni, cadit sub regulis morum; de illo enim lex & ratio potest disponere, ipsum præcipere, aut prohibere: ergo est moralis, consequenter meritorius aut demeritorius. Patebit magis conclusio ex dicendis in 2. Conclus. art. seq.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Ad merendum, vel demerendum sufficit vera & essentialis libertas; atqui vera & essentialis libertas compatitur naturalem necessitatem: ergo R. Hoc argumentum proprie spectare Art. sequentem, ubi falsam esse Minoris multis argumentis evincemus. Sed nunc gratis dato libertatem essentiali compati necessitatem naturalem, & sitam esse in sola immunitate a coactione, N. Maj. Et dico, quod in hac hypothese, ultra libertatem essentiali, ad merendum vel demerendum in hoc statu nature lapsæ, juxta definitionem Ecclesiæ, SS. Patres, maxime S. Thomam, requiritur insuper libertas a necessitate.

Obj. 2. Ex S. Thom. S. Doct. in 2. d. 40. q. 1. art. 1. ait: *Actus sunt in genere moris ex hoc, quod sunt voluntarii:* ergo R. S. Thom. illic intelligere voluntarium liberum, & non merè spontaneum, ut ostendimus art. sequenti, ubi varia alia S. Doctoris testimonia, etiam huc spectantia, exponemus: unum dumtaxat, quod parit difficultatem, & conclusionem nostram directe videtur impetere, hic subjicio. Itaque

Inst. S. Thom. in 3. d. 18. art. 2. ad 1. sic ait: *Dicendum, quod, etiam si liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numerum, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non emittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti; quia in illud non coactè, sed spontè tendit, & ita est actus sui dominus:* ergo ad merendum vel demerendum non requiritur libertas a necessitate. Prima fronte videtur difficilis hæc instantia, ob quam quidam restringunt conclusionem nostram ad statum nature lapsæ, in quo statu non erat Christus.

tus. Fateor equidem, summus Pontifex definitum dumtaxat libertatem a necessitate requiri ad merendum, vel demerendum in statu nature lapsæ; verum rationes nostræ & Patrum auctoritates probant id etiam requiri ex natura rei & in omni statu. Alii respondent, S. Thom. se retractasse in sua Summa. Sed neque necesse est illic confugere.

Antequam tamè adæquatè & directè respondeam, observandum velim, S. Thom. loco cit. non hoc unum dixisse, quod objicitur. Quærit eo loci, *Utrum Christus potuerit mereri;* quod resolvit affirmativè: & cum sibi objecisset n. 5. sic: *Naturalibus non meremur, quia sunt determinata ad unum; sed liberum arbitrium in Christo erat determinatum ad bonum: ergo ipse per liberum arbitrium mereri non potuit:* huic argumento respondet 1. quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum numerum, sed ad unum secundum genus, scilicet ad bonum, quia in malum non potest; sed tamen hoc potest facere & non facere, & hoc non excludit libertatem arbitrii, quia posse peccare non est libertas arbitrii, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus. Hæc est prima solutio S. Thom. secundum quam exigit ad merendum immunitatem, non solum a coactione, sed etiam a determinatione ad unum numerum, hoc est, indifferentiam contradictionis, licet non contradicentis. Et hanc veram esse sententiam S. Doctoris inde erudit, quod, cum in pluribus aliis locis, ut 3. p. q. 18. art. 8. ad 3. & q. 29. de verit. art. 6. ad 1. idem argumentum tractet, hanc solum solutionem adhibeat, omnia secunda, quæ nobis objicitur, cujus nusquam alibi meminit. Unde non improbabiliè multi inferunt, S. Thom. secundum responsum, quæ objicitur, adiecit esse sententiam quorundam veterum, qui hæc prerogativam Christo tribuebant, quod, cum esset comprehensor, & ut sic determinatus ad amandum Deum, potuerit tamen ut viator eodem amore promereri.

Verum dato S. Thom. respondisse, ut objicitur ex propria sententia, R. Sensus ejus esse, quod, quamvis liberum Christi arbitrium esset determinatum necessario ad amandum Deum secundum se, potuit tamen mereri; quia cum tali determinatione remanebat libertas ad eandem dilectionem Dei, prout est ratio diligendi creaturas. Undè vult tantum, in eodem actu necessario reperiri meritorium, non qua parte est necessarius, sed qua parte est liber; alias contradiceret priori Responsioni, in qua exigit ad merendum immunitatem a determinatione ad unum numerum. Neque obstant hæc verba, quia in illud non coactè, sed spontè tendit; nam To non coactè, sed spontè, idem est ac non necessarii sed libere; sæpius enim apud S. Thom. & veteres coactum sumitur pro necessario, & spontaneum pro libero, ut videbimus art. seq. Et ita hic sumi, aperte indicant hæc verba sequentia: *Et ita est actus sui dominus;* quod foret falsum, si intelligeret de actu necessario; non enim, teste ipso S. Doctore, sumus domini actuum necessariorum: Sumus, inquit 1. p. q. 82. art. 1. *domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc, vel illud eligere.* Addit ibidem, quod est notata dignissimum & planè decretorium pro veritate interpretationis nostræ: *Electio, inquit, non est de fine, sed de his, que sunt ad finem: unde appetitus ultimi finis non est de his, quorum sumus domini.* Ex quo principio, quod ubique constanter tenet S. Doct., præsertim tota q. 13. hujus partis, palam sequitur, non solum ipsum in instantia sumere to non coactè pro to non necessarii, sed etiam ipsum non loqui de libero Christi arbitrio, & ejus amore meritorio, prout terminatur ad Deum secundum se, seu ut est ultimus finis siquidem juxta constantem ejus doctrinam, ultimus finis; sit etiam objectum electionis, seu liberi arbitrii.

Repones: S. Thom. q. 29. de verit. art. 6. dicit quod *Christus eadem charitate fruebatur & merebatur, sicut eadem voluntate;* atqui actus charitatis, quo Deo fruebatur, erat necessarius: ergo R. ut antè, Christus eadem charitate fruebatur, quatenus fruebatur in Deum secundum se & ut ultimum finem, & eadem charitate merebatur, quatenus fruebatur in Deum secundum quod est ratio diligendi creaturas. Undè D. Min. actus charitatis, quo Deo fruebatur, erat necessarius, prout attingebat Deum secundum se & ut finem ultimum. C. prout attingebat Deum ut est ratio diligendi creaturas, N. Patet est in ea ipsa voluntate, quam designat S. Thom. eadem quippe voluntate fruebatur & merebatur: fruebatur, quatenus ipsa voluntas amabat necessario Deum in se; merebatur, quatenus eadem ipsa voluntas amabat Deum, ut est ratio diligendi creaturas.

Urgebis: Bonitas divina, etiam quatenus est ratio diligendi creaturas, non est minus infinita, quam bonitas divina secundum se; est enim eadem divina bonitas; atqui divina bonitas secundum se clarè visa necessario amatur: ergo etiam ut est ratio diligendi creaturas, R. D. Maj. ly quatenus sumpto materialitèr, C. sumpto formalitèr N. id est, divina bonitas, quæ est ratio diligendi creaturas, est quidem infinita, sed quatenus est formalitèr applicata creaturis ut ratio eas diligendi, sub ista

Theol. Billuart. Pars Secunda.

formali ratione non est infinita; quia applicatur finito modo, sicut finito modo a creaturis participatur.

Insistes, S. Thom. hic q. 6. art. 2. ad 3. dicit: *Laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis;* atqui perfecta ratio voluntarii reperitur etiam in actibus necessariis, ut in amore beatifico, sicut diximus supra: ergo R. S. Thom. loqui de voluntario perfecto hominis viatoris, quod est semper cum libertate indifferentiæ, saltè contradictionis; aut si loquatur de voluntario perfecto, prout abstrahit a voluntario viæ & patriæ, sensus est, quod laus & vituperium non consequuntur actum, nisi sit perfecte voluntarius, non autem quod consequatur omnem actum perfecte voluntarium; quia requiritur quidem ad laudem, aut vituperium, quod actus sit perfecte voluntarius, sed id non sufficit, nisi etiam sit liber: sicut, licet laus & vituperium non consequantur nisi actum creature rationalis, non tamen consequuntur omnem actum creature rationalis.

Replicabis S. Thom. in 3. d. 12. q. 2. art. 1. ad 3. dicit, quod *Impotentia coactionis, que opponitur voluntario, tollit rationem meriti & demeriti, non impotentia, que est ex perfectiōne in bonitate vel malitia; quia hæc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam in bono:* ergo R. Sensus S. Thom. esse, quod impotentia bene vel male agendi, orta ex perfectione, seu confirmatione in bono vel in malo, non tollat rationem meriti vel demeriti, quia voluntarium scilicet liberum non tollit; & hoc est, quod dixi in secunda conclus. & dicam art. seq. scilicet libertatem contrarietatis ad bonum & malum non esse de essentia libertatis, nec requiri ad merendum, vel demerendum, sed sufficere libertatem contradictionis. Sumit ergo hic S. Thom. voluntarium pro libero, & coactionem generalitèr tam pro violentia, quam pro simplici necessitate, quod ipsi familiare est, ut dicam modo. Et hunc esse sensum S. Doctoris, patet tum ex eo, quod in Art. cit. quærat utrum Christus potuerit peccare? Tum quia impotentia bene, vel male agendi, orta ex confirmatione in bono, vel in malo, non est proprie ex violentia, sed ex inclinatione necessario determinata ad unum; tum, tandem ex argumento cui respondet, quod procedebat de voluntario libero & de impotentia peccandi, orta tam ex violentia, quam ex necessitate, secundum illud, quod profert ex Aug. *Nullus peccat in eo, quod vitare non potest:* sive autem quis coactione propria, sive quis simplici necessitate compellatur ad peccatum, illud vitare non potest. Plura alia argumenta omitto; quia recurrent Art. seq. Undè sit

ARTICULUS IV.

Utrum, & qua indifferentia sit de essentia liberi arbitrii.

Quamvis fide certum sit, hominem in statu nature lapsæ gaudere libertate a necessitate, seu libertate indifferentiæ, eamque requiri in eodem statu ad merendum, vel demerendum, ut ex superioribus articulis constat; non desunt tamen Theologi Catholici, qui cum Jansenio contendunt hæc indifferentiam seu libertatem a necessitate non pertinere ad essentiam liberi arbitrii, sed solum ad ejus statum in via: libertatem autem libero arbitrio essentiali, & que ipsi in omni statu competit, esse præcisè libertatem a coactione, seu spontaneitatem cum perfecta cognitione. Undè, juxta illos, Deus libertate essentiali arbitrii se amat & producit Spiritum sanctum, Beati eadem libertate Deum amant, similiter viator Beatitudinem in communi.

Non paucis videtur parum utilis hæc questio, & quasi de nomine. Vocetur, inquam, ista libertas a coactione libertas essentialis, seu libertas simpliciter dicta, quid nocet, modo in tuto sint dogmata fidei, maneatque inconcussum, aliam inesse homini viatori, & requiri ad merendum, ad demerendum in hoc presenti statu? Ita quidem. Attamen negari non potest, quin hæc Jansenii opinio multum favet ejus erroribus damnatis, in eaque libertatem arbitrii facile excogitari posse cum delectatione necessitante, & fortè fuit ad id excogitata; ita ut neque ipse Jansenius, neque Lutherus & Calvinus possint formulari eversi liberi arbitrii. At verò, ea expugnata, solide firmantur priores fidei assertiones, & Doctrina Janseniana radicitus evertitur. Insuper in hujus Quæstionis discussione varia tum S. Aug. cum S. Thom. principia, quibus abutuntur Janseniani, & Calviniani, in bona luce collocantur. Quapropter accurato examini subjiciendam, & pro viribus confutandam, existimo. Itaque

Dico 1. Vera & essentialis libertas arbitrii non consistit in sola immunitate a coactione, cum perfecta advertentia, seu, ut dicunt, in solo voluntario rationali, sed in immunitate a necessitate, seu libertate indifferentiæ. Est communis contra Jansenium, Vincentium Lenis seu Fromondum, Henricum

Ccc